

† R. P. Franciscus Xaverius Rader (1881-1930).

(*Prov. Germ. Inf.*)

† R. P. Franciscus Xaverius Rader (1881-1930).

(*Prov. Germ. Inf.*)

Clarissimus Bourdaloue in suo Exercitiorum spiritualium libro ait illos religiosos, qui, qua assiduitate bonum die praecedenti operati sint, eadem insequenti die operentur, non deficientes usque ad ultimum vitae momentum, prodigii instar esse. Tale prodigium nobis apparuit desideratissimus confrater, cuius memoriam caram nunc ad posteros transmittere velimus.

Franciscus Xav. Rader patriam sortitus est parvum oppidum *Monschau* seu *Monjoie*, amoenissime prope Belgarum fines in provincia Rhenana si-

---

(2) PAULUS LEICK, *Schule der christlichen Vollkommenheit für Welt- und Ordensleute*. Regensburg 1886, 2<sup>a</sup> ed. 1898.

tum, ubi d. 13 Oct. 1881 in lucem editus est. Pater, agricola haud opulentus, sed piissimus, ipse accurate dicere non poterat, quoties in vita sanctuaria illa Mariana *Heimbach* et *Kevelaer* peregrini more visitasset. Haud minus mater eminebat pietate, praesertim singulari in caeli Regnam devotione. De eius obitu filius natu minimus, Franciscus noster, ad confratrem scripsit:

« Nunquam obliviscar, quomodo optima mater ultimo vespere, manu Crucifixum tenens, oraverit. Etiam tum gratiam perseverantiae efflagitabat, quam postero die iam in tuto collocatam habebat. Plane sui compos erat, cum ego ipsi ultimum Viaticum apportavi, et brevi post clausi ego lumina illa morte exstincta. Vere unita cum Iesu, Maria, Iosepho, primo sabbato mensis Martii, mater obiit mortem, in quam merito applicentur verba: *Pretiosa in conspectus Domini...* Intelliges totum animi mei desiderium nunc ad matrem tendere. Quam libens eam sequi vellem! Visa adeo pacata morte, mors propria minus terret. At certo Deus primum multos alios labores a me postulat. »



Insignem parentum pietatem Franciscus in hereditatem acceperat, Deus autem mature animo pueri vividum sacerdotii desiderium indidit. Quod ut assequeretur, festo Matris Boni Consilii 1895 juvenatum nostrum Vaalsensem ingressus est. Quos ibi usque ad autumnum 1901 degit dies, eos ipse inter vitae pulcherrimos numerabat. Nos vero, qui eum tum cognovimus, libenter mente revocamus angelicam Francisci pietatem et religiosissimam in exsequendis variis obligationibus fidelitatem.

Festo VII dolorum B. M. V. 1901 Luxemburgi vestem filiorum S. Alphonsi induit, et eodem die festo recurrente, 14 Sept. 1902, Francisci navicula, votis perpetuis nuncupatis, in Congregationis portum appulit. « Sicut stella fulgida (ita ipse in notulis suis privatis scripsit) Mater Dei Maria etiam postea vitae meae dies maioris momenti irradiavit. Ordines omnes, et minores et maiores, sabbato recepi. Primam meam Missam sollemniter celebravi festo Annuntiationis, in qua Missa orator sacer exposuit, quae necessitudo inter B. M. V. et sacerdotem intercederet. Festo Virginis perdolentis in collegium Vaalsense praeceptor redii ».

Ergo P. Rader, ubi altiora studia per annum Treveris, per quinquennium Geistingii exegit, alios docere iussus est, et fere semper quidem in iuvenatu Provinciae. Excipiuntur tria biennia, unum (1911-1913), quo Romae discipulus nostrae Scholae Maioris fuit, cursus domesticos secutus, alterum (1913-1915), quo in studentatu theologiam moralem, tertium (1919-1921), quo ibidem ius can. tradidit.

Eius indoli, tanta cura diligentiaque res vel minutissimas consideranti, prae ceteris grammatices magisterium adaptatum erat, nec novimus ludimagistrum, qui Patre Rader melius ac iucundius adolescentulos nostros linguas latinam, graecam, hebraicam docuerit. Nemo unquam eum invenit serius ad scholam venientem aut minus bene paratum aut discipulorum lucubrationes negligenter perlustrantem. Semper in eo idem iuvenilis ardor, eadem sedulitas, idem profectus discipulorum studium. Ut verbo dicamus, perfecti Lectoris forma et species in eo relucebat.

Superiores, cum virtutem Patris Rader probe novissent, circa a. 1923 opus difficillimum ab eo expetierunt, ita ut ipse tum haec verba notaverit: « Laborum onus humanas vires superans me manet. Faxit Deus, ut sanctae Regulae praescriptum servem: *Nihil voluntatis habeant, sed tota sit in manu eorum qui eos gubernant.* » P. Rader, vitae annos quadraginta iam transgressus et iam iucanescens, functus certis horis magisterio aliis horis ad discipulorum condicionem redire debuit, ut nostrorum omnium primus illa examina subiret, quae in Borussia ad publicam docendi veniam requiruntur. Iam in universitate Bonnensi eius scientia iudicibus probata erat; postea vero Coloniae in examine paedagogico, quod vocatur, paedagogus noster eximius reprobatus est! Verumtamen hac ipsa occasione eius virtus tanto splendore effulsit, ut ipsi severi iudices valde mirarentur idque postea palam enuntiarent.

P. Rader malisset tum novo tentamine abstinere, sed desiderio Superiorum etiam hac in re humiliter obsecundans, post ardui laboris complures menses denuo iudicibus se sistere non dubitavit. *Post nubila Phoebus.* Optime probatus novus « Studiorum Assessor » ad nostrum Collegium Iosephinum rediit, ubi cum manifesta caeli benedictione humilem suum, at tanti momenti laborem continuare coepit.

Cum vero esset genuinus S. Doctoris zelantissimi filius, etiam apostolatum formalem, et verbi et calami, quantum poterat, exercebat. Videns aedem nostram Bonnensem diebus dominicis ad Missam horae 8 tantopere celebrari, ipse se obtulit ad panem verbi divini intra Missam fidelibus frangendum, et quot vigilias consumpsit in his homiliis bene parandis! Ultimatum d. 26 Ian., iam graviter aegrotans, contionatus est. In iis vero, quae typis excudenda curavit et quae late diffusa sunt, imprimis plane redemptoristicam auctoris pietatem admiramur. Pia quoque carmina scite

composuit, et vernaculo et latino sermone, quorum nonnulla hodieum cantantur multumque placent.

Ad spiritualem confratris defuncti effigiem complendam oportet saltem brevem mentionem facere eius modestiae, simplicitatis caritatisque fraternae. Absentes laudare in deliciis habebat, a famae alienae violatione abhorrebat, et ut erat plenus officii, innumera servitia fratribus exterisque reddebat. Nil igitur mirum, quod eius praematura morte Superiores, confratres, discipuli, amici, permagno dolore affecti sunt, et P. Provincialis quidem etiam ob eam causam, quod in Patre Rader coadiutorem habebat fidelissimum, sacros canones optime callentem.

Mors autem ita accidit: Inde ex d. 18 Ian. h. a. P. Rader aegrotare coepit, et medici iussu in nosocomium *Beuel* translatus est. Ibi cum nocte, quae inter d. 25 et 26 Febr. intercessit, embolia pulmonaris eius vitam in summum discrimen adduxisset, ex manu confratris, tum in illo hospitali sacerdotale ministerium exercentis, devotissime ss. Eucharistiam per modum Viatici recepit. Extremam vero unctionem administrare ait Superiorum privilegium esse, quare Adm. R. P. Rector accurrit; cui sacro ritui etiam Pl. R. P. Provincialis aliique duo confratres interfuerunt. Postea in manus P. Provincialis vota sua renovavit, latinam formulam e memoria recitans, et grati animi erga Congregationem sensus praeclaros manifestans, omnibus vale dixit.

Sed nondum venerat hora eius. Interim, quamdiu mortis periculum perdurabat, diu noctuque confrater aegrotanti assistebat, immenso cum infirmi solacio. Tum nova luce apparebat, quantopere P. Rader vitae interioris et observantiae regularis esset amans. Iam sperare coeperamus hanc margaritam iuvenatui et Provinciae conservatum iri, cum postridie festum S. Ioseph nova embolia pulmonaris vitae confratris carissimi finem imposuit, eo ipso anno, quo prima maturitatis examina publica in iuvenatu facta sunt et huius Collegii Iosephini iubilaeum aureum celebratur. Fiat voluntas Dei sanctissima!

Corpus conditum est Geistingii, ubi nobis in horto est coemeterium proprium, et convenientissime non modo studentatus, sed etiam integer iuvenatus dilecti Patris funeri iusta solvit. Quotquot aderant, quantopere commoti sunt, cum prima vice novum iuvenatus vexillum supra apertum tumulum huius Lectoris amantissimi atque amatissimi inclinabatur, et cum primum iuvenistarum, tum clericorum studentium chorus appositis neniis ultimum vale dixit, cum tandem post prandium P. Provincialis in ecclesia pulcherrimum defuncti testamentum legit!

Vive in Deo beatus, oculissime rerum, et trahe nos post te!